



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus XI. vtrum Christi gratia sit infinita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

gratiam habentis, esse dicitur gratia plenitudo, quando A quis habet plene gratiam secundum suam conditionem, siue secundum intensiorem, prout in eo est intensa gratia usque ad terminum preficuum ei a Deo, secundum illud Ephes. 4. Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi: Siue etiam secundum virtutem: in quantum scilicet habet facultatem gratia ad omnia, que pertinent ad suum officium siue statum, sicut Apostolus dicebat Ephes. 3. Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hac illuminare omnes, &c. Et talis gratia plenitudo non est propria Christo, sed communicatur alijs per Christum.

Ad primum ergo dicendum, quod Beata Virgo dicta est plena gratia, non ex parte ipsius gratia: quia non habuit gratiam in summa excellentia, qua potest haberi, nec ad omnes effectus gratia: sed dicitur fuisse plena gratia per comparationem ad ipsam: quia scilicet habebat gratiam sufficientem ad statum illum, ad quem erat electa a Deo, ut esset scilicet mater Vnigeniti eius. Et similiter Stephanus dicitur plenus gratia, quia habebat gratiam sufficientem ad hoc, quod esset idoneus minister & testis Dei, ad quod erat electus. Et idem dicendum est de alijs. Harum tamen plenitudinum una est plenior altera, secundum quod aliquis est diuinitus preordinatus ad altiorem, vel inferiorem statum.

Ad secundum dicendum quod Apostolus ibi loquitur de illa plenitudine gratia, qua accipitur ex parte subiecti, in comparatione ad id, ad quod homo est diuinitus preordinatus. Quod quidem est vel aliquid commune, ad quod preordinantur omnes Sancti: vel aliquid speciale, quod pertinet ad excellentiam aliquorum. Et secundum hoc quidam plenitudo gratia est omnibus sanctis communis, ut scilicet habeant gratiam sufficientem ad merendum vitam æternam, que in plena Dei fruitione consistit: & hanc plenitudinem optat Apostolus fidelibus, quibus scribit.

Ad tertium dicendum, quod illa dona, que sunt communia in patria, scilicet visio, comprehensio, fructio, & alia huiusmodi habent quidam dona sibi correspondentia in statu via, que etiam sunt communia omnibus Sanctis: Sunt tamen quedam prerogative Sanctorum in patria, & in via, que non habentur ab omnibus.

COMMENTARIUS.

Proprium vno modo distingui potest ab extraneo vel aduentitio, & hoc modo sensus questionis esset, an gratia conueniat Christo ex se seu ex proprijs, & hoc sensu non tractatur hic a D. Thom. sed infra artic. 13 & a nobis sæpe iam dictum est: alio ergo modo proprium distinguitur contra commune, & hoc modo hic queritur, an plenitudo gratia conueniat Christo & non alijs.

b Responso D. Thom. est plenitudinem simpliciter tam intensiuam quam extensiuam esse propriam Christi, qui gratiam habuit cum maxima excellentia & virtute, que conuenire potest ipsi gratia secundum se, plenitudinem autem secundum quid seu ex parte subiecti alijs communicari. Quæ posterior pars per se clara est & satis a D. Thom. tractatur. Prior vero intelligenda est secundum potentiam Dei ordinariam iuxta dicta in principio articuli precedenti, & sic non habet difficultatem.

Solutiones argumentorum nulla expositione indigent. Sed præsertim obseruatione digna est solutio ad primum, propter ea quæ in sequenti tomo de plenitudine gratia Beatissimæ Virginis explicabuntur.

* *

a Verum Christi gratia sit infinita.

Ad undecimum sic proceditur. Videtur quod gratia Christi sit infinita. Omne enim immensum, est infinitum: Sed gratia Christi est immensa: dicitur enim Ioan. 3. Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum, Filio, scilicet Christo. Ergo gratia Christi est infinita.

2. Præterea, Effectus infinitus demonstrat virtutem infinitam, que non potest fundari, nisi in essentia infinita: Sed effectus gratia Christi est infinitus: extendit enim se ad salutem totius humani generis: ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris & totius mundi: ut dicitur prima Ioan. 2. Ergo gratia Christi est infinita.

3. Præterea, Omne finitum, per additionem finitipote peruenire ad quantitatem cuiuscunque finiti. Si igitur gratia Christi esset finita, posset alterius hominis gratia tantum crescere, quod perueniret ad æqualitatem gratia Christi, contra quod dicitur Ioan. 28. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum: secundum quod Gregorius ibi exponit. Ergo gratia Christi est infinita.

Sed contra est, quod gratia est quiddam creatum in anima. Sed omne creatum est finitum: secundum illud Sapient. 11. Omnia in numero & pondere & mensura dispositi. Ergo gratia Christi non est infinita.

b Respondeo dicendum, quod sicut ex supra dictis patet, * in Christo potest duplex gratia considerari. Una quidem est gratia vnionis: que sicut supra dictum est, * est ipsam vniri personaliter Filio Dei, quod est gratis concessum humane nature: & hanc gratiam constat esse infinitam, secundum quod ipsa persona Verbi est infinita. Alia vero est gratia habitualis, qua quidem potest dupliciter considerari. Vno modo, secundum quod est quoddam ens. Et sic necesse est quod sit ens finitum: essentia in anima Christi sicut in subiecto: Anima autem Christi est creatura quedam habens capacitatem finitam: unde esse gratia cum non excedat suum subiectum, non potest esse infinitum. Alio modo potest considerari secundum propriam rationem gratia. Et sic gratia Christi potest dici infinita, eo quod non limitatur: quia scilicet habet quicquid potest pertinere ad rationem gratia: & non datur ei secundum aliquam certam mensuram id, quod ad rationem gratia pertinet: eo quod secundum propositum Dei, cuius est gratiam mensurare, gratia conferatur anime Christi, sicut cuiusdam vnus: alii principio gratificationis in humana natura: secundum illud Ephes. 1. Gratificauit nos in dilecto filio suo: Sicut si dicamus lucem solis esse infinitam: non quidem secundum suum esse, sed secundum rationem lucis, quia habet quicquid ad rationem lucis pertinere potest.

c Ad primum ergo dicendum, quod id quod dicitur, Pater non ad mensuram dat Spiritum filio, vno modo exponitur de dono quod Deus pater ab æterno dedit Filio, scilicet diuinam naturam, que est donum infinitum. Unde quedam glos. dicit ibidem. Ut tantus sit filius, quantus & Pater. Alio modo potest referri ad donum, quod datum est humane nature, ut vnatur diuina persona: quod etiam est donum infinitum. Unde glos. dicit ibidem, Sicut Pater plenum & perfectum genuit Verbum, sic & plenum & perfectum est vnium humane nature. Tercio modo potest referri ad gratiam habituale, in quantum gratia Christi se extendit ad omnia que sunt gratia. Unde August. hoc exponens dicit, Mensura diuina, diuisio quedam donorum est: alij enim datur per Spiritum sermo sapientia, alij sermo scientia: sed Christus, qui dat, non ad mensuram accipit.

Ad secundum dicendum, quod gratia Christi habet infinitum effectum: cum propter infinitatem prædictam gratia, cum propter vnitatem diuine persone, cui anima Christi vnita est.

d Adter-

Ad tertium dicendum; quod minus per augmentum potest peruenire ad quantitatem maiorem, in his, quae habent quantitatem vnius rationis: sed gratia alterius hominis comparatur ad gratiam Christi, sicut quaedam virtus particularis ad vniuersalem. Vnde sicut virtus ignis, quantumcumque crescat, non potest adaequare virtutem solis: ita gratia alterius hominis, quantumcumque crescat, non potest adaequare gratiam Christi.

COMMENTARIUS.

Ictitulus, si materiam de qua agimus spectemus, de habituali gratia sine dubio intelligendus est. Diuus autem Thom. in corpore articuli ad quandam doctrinæ amplificationem de gratia etiam vniionis sermonem facit. Vnde tribus assertionibus respondet.

b Prima est, gratiam vniionis esse infinitam, quatenus ipsa persona Verbi infinita est, videantur supra dicta q. 2. art. 12. nihil enim addendum occurrit.

Secunda assertio est, Gratia habitualis Christi propter quod est quoddam ens, est finita simpliciter. Probatur, quia est in anima Christi, quæ cum sit creatura, solum est capax finitæ perfectionis. Hæc verò assertio ambiguum habet sensum, potest enim gratia dici simpliciter finita, vt est quoddam ens, primo quia habet finitam essentiam, quomodo quantitas etiam infinita, vt est quoddam ens, posset dici finite simpliciter. Et videtur certe D. Thom. hoc tantum sensu locutus, quia ratio eius nihil aliud probare videtur. Secundo vero modo potest dici gratia finita vt est quoddam ens, quia vt est quoddam qualitas habet finitam essentiam & finitos gradus intensiōis, & hoc sensu est etiam vera conclusio vt infra dicitur: difficile tamen est illam conuincere ratione D. Thom. quia capacitas animæ ad recipiendam intensiōem gratiæ videtur esse infinita, cum possit intensiorem gratiam in infinitum suscipere. Dicendum tamen est D. Thom. vocasse hanc capacitatē simpliciter finitam, quia non potest recipere perfectionem æquā infinitam quacumque ratione, hoc vero non amplius probauit hoc loco, quia supponit generatim tractatum & probatum i. par. q. 7.

Tertia assertio est, Gratiam Christi secundum propriam rationem gratiæ esse infinitam. Quam ita explicat D. Thom. vt planè doceat non esse sermonem de infinito simpliciter, sed secundum quid: comparat enim hanc gratiam cum luce Solis, quam dicit posse vocari infinitam non in esse suo, sed quia habet quidquid ad rationem lucis pertinere potest, sed hæc longiori indigent expositione, quam trademus sequenti disputatione.

c In solutione ad primum tractat D. Tho. locum illum Ioan. 3. Deus non ad mensuram dat spiritum Filio, ita enim D. Th. citat, & in hoc fundat argumentum, cum tamen in textu non habeatur illa particula, *Filio*, vnde quasi per paraphrasim, vel expositionem illam addidisse videtur: tum, quia in toto contextu est sermo de Filio seu Christo, tum etiam, quia Patres omnes antiqui ita exponunt, Patrem scilicet sine mensura dedisse spiritum Filio, vt Aug. tract. 14. in Ioan. qui hoc probat ex verbis sequentibus, statim enim subiungitur. *Pater enim diligat Filium, & omnia dedit in manu eius*. Idem Cyril. lib. 2. in Ioan. c. 72. qui intelligunt, hoc esse dictum de Filio secundum diuinitatem, quia substantialiter Spiritum possidet, vt ait Cyril. vel quia ei datum est per æternam generationem, vt sit tantus, quantus Pater: Gregor. etiam Nazian. orat. 36. n. 49. de Filio, secundum diuinitatem hoc intelligens multo aliter interpretatur, dicens ideo Patrem non dare Spiritum ad mensuram Filio, quia omnino nō dat, eo scilicet modo, quo illum dat hominibus, vt sanctificet eos per adoptionem, & liberalem donationem, filius enim non indiget huiusmodi adoptione, cum sit filius naturalis,

Fr. Suarez. Tom. 1.

Aquam expositionem etiam Theophyl. tetigit. Chryl. vero super Ioan. quem Theophyl. Euthy. & alij sequuntur, eundem locum de Filio intelligentes, de Christo vt homine illum interpretantur, cui dicitur dari spiritus sine mensura, vel ratione gratiæ vniionis, quæ suo modo est infinita, vt Cyril. indicat lib. 2. in Ioan. c. 3. & ad eundem sensum possunt accommodari alia verba ex eodem citata, vel ratione donorum gratiæ, quæ alijs dantur sub certa mensura, iuxta illud, *Vnicuique datur gratia, secundum mensuram donationis Christi*, & illud, *Diuisiones gratiarum sunt*, at vero Christo data est omnis virtus, & operatio gratiæ, cum omni plenitudine, & perfectione, & hunc sensum magis indicat Chryl. & Graeci, nec dissensit Aug. Itaque antiqui patres omnes intelligunt hoc testimonium de Christo Filio Dei, cui Pater dedit spiritum sine mensura.

At verò recentiores expositores, quia Euangelista non addidit expresse illam particulam, *Filio*, non putant de illo esse dictum datum esse ei spiritum sine mensura, sed simpliciter dictum esse. Deum non dare spiritum ad mensuram. Vel vt his verbis solū significatum sit, Deum non habere definitam mensuram communicandi gratiam suam, sed alijs maiorem, alijs minorem, arbitrio suo communicare, vel certe, vt illis verbis significetur Deum dedisse mundo, & hominibus donum sine mensura, quando Filium suum misit, qui verba Dei loqueretur hominibus.

Sed mihi multo magis probatur patrum expositio, multoq; magis videtur textui consentaneum, vt de Christo verba illa intelligantur: in illis enim reditur ratio eius, quod immediate præcellerat, vt patet ex illa particula *enim*: sic enim habetur in textu, *Quem misit Deus verba Dei loquitur*, non enim ad mensuram dat spiritum, vt sensus sit, ideo Christum semper verba Dei loqui, neque aliud verbum posse ab ore eius audiri, quia Deus non ad mensuram dat spiritum, certe non alteri nisi ei qui verba Dei loquitur, alias ratio non quadraret, quod etiam sequentia verba manifestant. *Pater diligit filium, & c.* vt Aug. etiam notauit. Placet autem esse sermonem de Christo homine, nam de illo loquitur Ioan. Baptista in illis verbis, *Et ille est qui verba Dei loquitur*, quia illi datus est spiritus sine mensura, quod ideo dictū censo, quia ita est homo, vt sit etiam Deus, vnde sic vt carere non possit omni perfectione, & ideo necesse sit eum verba Dei loqui.

d Tertium argumentum (omisso secundo de quo in superioribus multa dicta sunt) est, quia si gratia Christi est finita, gratia puri hominis crescendo posset ad illius quantitatem, & æqualitatem peruenire. Responso est id non sequi, quia habent quantitates diuersarum rationum: gratia enim Christi est veluti vniuersalis virtus, in homine autem puro, est solum particularis gratia. Quam solutionem fuse explicat Caiet. Sed breuiter iam supra dixi, gratiam Christi in nulla physica perfectione sibi inhzere esse diuerse speciei à gratia aliorum hominum, vnde loquendo de quantitate physica, non potest habere quantitatem diuersæ rationis, quia hæc quantitas in qualitate nihil aliud est, quam intensio vel perfectio eius: at verò secundum morales quosdam respectus verum est gratiam Christi habere perfectionem, & quantitatem alterius rationis, vt sequenti disputatione amplius explicabimus.

Dices. Ergo non satis dissoluit argumentum. D. Thom. nam licet verum sit, gratiam puri hominis non posse peruenire ad eam dignitatem, quam in esse gratiæ habere dicitur gratia Christi per coniunctionem ad gratiam vniionis: videtur tamen argumentum probare, quod peruenire possit ad æqualem perfectionem in intensiōe, & gradibus qualitatis, quia hæc quantitas in vtraque gratia eiusdem rationis est. Respondetur argumentum concludere, non

Theophyl.
Chryl.
Euthy.
Cyril.

Chryl.
Aug.

Aug.

3. Argum.

Caiet.
Gratia
Christi nō
est diuersa
speciei à
gratia puri
hominis.

Obiectio.

Solutio.

Non impli-
cat in pura
creatura
dari gratiã
habituali
aque in-
finitam, ac su-
per in Chri-
sto.
re, non implicare contradictionem, ut possit dari A
gratia in puro homine, tã intentã in gradibus qua-
litas, quam est gratia Christi: nihilominus tamen
certum est fieri non posse secundum legem Dei or-
dinariam, ut aliquis crescendo in gratia, perueniat
ad intensiorem gratiã Christi, quia facultas, auxi-
lia & periodus viæ, & alia necessaria ad augmen-
tum gratiæ, ita sunt concessa, & commensurata ho-
minibus, & Angelis, ut nullus possit, neque unquam
potuerit tam excelsum terminum gratiæ attingere,
Quia verò hæc excellentia concessa est Christo pro-
pter vnionem ad verbum, & quia est vniuersale prin-
cipium gratiæ, ideo D. Thom. rationem hanc, ut
primariam, & aliarum fundamentum tetigit, quam
hoc loco amplius non explicuit, quia sequenti arti-
culo ostensus erat, mensuram gratiæ ex ordine
diuinæ sapientiæ sumendam esse. Sed de hoc argu-
mento & de errore Regardorum & Biguinarum,
qui in eo tangitur in 2. 2. q. 24. ex professo dispu-
tatur.

ARTICVLVS XII.

a. *Utrum gratia Christi potuerit augeri.*

34.
1 di. 15. q. 5.
artic. 1. q. 4.
Ed. 17. q. 2.
artic. 4. ad
5 & 3. dist.
13. q. 1. arti.
2. q. 3. Ed.
18. arti. 5.
eo. Et 1. sa.
1 li. 2. prin-
cipio.
* art. prae.



Duodecimum sic proceditur. Videtur
quod gratia Christi potuerit augeri. Omni
enim finito potest fieri additio: Sed gratia
Christi fuit finita: ut dictum est. Ergo
potuit augeri.

2. Præterea, augmentum gratiæ fit per virtutem di-
uinam: secundum illud 2. ad Cor. 9. Potens est autem Deus
omnem gratiam abundare facere in vobis: Sed virtus di-
uina, cum sit infinita, nullo termino coarctatur. Ergo videtur
quod gratia Christi potuerit esse maior.

3. Præterea, Luc. 2. dicitur, quod puer Iesus proficiebat sa-
pientia & ætate, & gratia aequa Deum & homines. Ergo gra-
tia Christi potuit augeri.

Sed contra est quod dicitur Ioan. 1. Vidimus eum quasi
vniuentum à Patre, plenum gratia & veritatis. Sed nihil
potest esse aut intelligi maius, quam quod aliquis sit vniuentus
à Patre: ergo etiam non potest esse vel intelligi maior gra-
tia, quam illa, qua Christus fuit plenus.

b. Respondeo dicendum, quod aliquam formam non
posse augeri, contingit dupliciter. Vno modo ex parte ipsius
subiecti: alio modo ex parte ipsius forme. Ex parte quidem
subiecti, quando subiectum attingit ad vltimum gradum
in participatione illius forme secundum suum modum: si-
cut si dicatur, quod aer non potest crescere in caliditate,
quando pertingit ad vltimum gradum caloris, qui potest
saluari in natura aeris, licet possit esse maior calor in rerum
natura, qui est calor ignis. Ex parte autem forme excludi-
tur possibilitas augmenti, quando aliquod subiectum at-
tingit ad vltimam perfectionem, quam potest talis forma
habere in natura: sicut si dicamus, quod calor ignis non
potest augeri, quia non potest esse perfectior gradus caloris
quam ille, ad quem pertingit ignis. Sicut autem aliarum
formarum est ex diuina sapientia determinata propria
mensura, ita & gratia: secundum illud Sapient. 11. Omnia
in numero & pondere & mensura disposuisti. Mensura
autem vnicuique forme præfigitur per comparisonem ad
suum finem: sicut non est maior grauitas quam grauitas
terra, quia non potest esse inferior locus loco terra. Finis
autem gratiæ est vnio creature rationalis ad Deum: non
potest autem esse nec intelligi maior vnio creature ratio-
nalis ad Deum quam que est in persona: & ideo gratia
Christi pertingit ad summam mensuram gratiæ. Sic igitur
manifestum est, quod gratia Christi non potest augeri ex
parte ipsius gratiæ: Sed nec etiam ex parte subiecti: quia
Christus, secundum quod homo à primo instanti sue con-
ceptionis fuit verus & plenus comprehensor. Vnde in eo
non potuit esse gratiæ augmentum, sicut nec in alijs Beatis:
quorum gratia augeri non potest, eo quod sunt in termino.

Hominum vero qui sunt pure viatores, gratia potest augeri, &
ex parte forme, quia non attingunt summum gratiæ gra-
dum: & ex parte subiecti, quia nondum perueniunt ad
terminum.

c. Ad primum ergo dicendum, quod si loquamur de quan-
titatibus mathematicis, cuiuslibet finite quantitati po-
test fieri additio: quia ex parte quantitatis finite, non
est aliquid quod repugnet additioni. Si vero loquamur de
quantitate naturali, sic potest esse repugnantia ex parte
forme, cui debetur determinata quantitas, sicut & alia
accidentia determinata. Vnde Philosophus * dicit in se-
cundo de anima, quod omnium natura constantia est ter-
minus & ratio magnitudinis & augmenti. Et inde est,
quod quantitati totius celi non potest fieri additio. Mul-
to igitur magis in ipsis formis consideratur aliquis terminus
ultra quem non progreditur. Et propter hoc non oportet,
quod gratia Christi possit fieri additio, quamuis sit finita se-
cundum sui essentiam.

Ad secundum dicendum, quod virtus diuina licet possit
facere aliquid maius & melius, quam sit habitualis gratia
Christi non tamen potest facere, quod ordinatur ad aliquid
maius, quam sit vnio personalis ad Filium vniuentum à Pa-
tre. Cui vnioni sufficienter correspondet talis mensura gra-
tiæ, secundum definitionem diuinæ sapientiæ.

d. Ad tertium dicendum, quod in sapientia & gratia ali-
quis potest proficere dupliciter. Vno modo secundum ipsos ha-
bitus sapientiæ & gratiæ augmentatos: & sic Christus in eu
non proficiebat. Alio modo secundum effectus: in quantum
scilicet aliquis sapientior & virtuosior opera facit. Et sic
Christus proficiebat sapientia & gratia, sicut & ætate: quia
secundum processum ætatis perfectiora opera faciebat: ut se-
verum hominem demonstraret, & in his quæ sunt ad Deum, &
in his, quæ sunt ab hominibus.

COMMENTARIVS.

Titulus huius articuli intelligendus est de poten-
tia ordinaria, seu stante ordine à diuina sapientia
præfixo, ut ex corpore articuli nō obscure colligitur.
b. Respondeo igitur in dicto sensu, gratiam neque
ex parte sua, neque ex parte suscipientis augeri posse.
Ratio prioris partis est, quia illa gratia in Christo fuit
ad vnionem ordinata, sed illa vnio est summa, quæ
potest esse in creatura, ergo & gratia illa habuit in
Christo summum gradum, quem habere potest se-
cundum diuinæ sapientiæ mensuram, & legem. Di-
citur autem gratia ordinaria ad vnionem, non ut dis-
positio antecedens, sed ut ornamentū consequens,
& facultas operandi: ut supra dictum est, art. et-
iam sequenti D. Thom. dicit, Ratio posterioris par-
tis est, quia Christus à principio fuit beatus, gratia
autem beati propter statum suscipientis augeri non
potest de qua ratione infra quæst. 10. & 11.

c. Primum argumentum est. Omni finito potest
fieri additio, gratia Christi est finita, ergo. Respon-
det si in gratia finita consideretur quantitas eius ve-
luti mathematicæ, sic posse ei fieri additionem, si ve-
ro consideretur, ut est veluti naturalis quantitas, sic
non posse fieri additionem illi, quia formæ sibi de-
terminant certos terminos, ultra quos non progre-
diuntur. Potuisset quidem D. Thom. clarius dicere,
argumentum concludere posse illi gratiæ fieri addi-
tionem in gradibus intensiōis de potentia absoluta,
non tamen de ordinaria: hoc tamen ipsum signifi-
cavit illis verbis, ut veriusque partis rationē attinge-
ret, ideo enim gratia illa de potentia absoluta posset
augeri seu intendi, quia nullam inuoluit repugnan-
tiam, aut contradictionem, magis quam quod finita
quantitas secundum se, & mathematicè considerata,
augeatur, tamen quia ex ordinatione diuina, gratia
illa quali coaptata est gratiæ vnionis, & nō potest ad
altiores finem ordinari, ad illum vero sufficere qua-
ntitas gratiæ, quæ ex dispositione diuinæ sapientiæ
Christo